



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conferentiæ Theologico Morales

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum
Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum,
Confessariorúmque omnium

Ex Materia De Actibus Humanis Excerptarum

Sargar, Elisaeus

Augustæ Vindelicorum, 1720

Conferentia LII. An ignorantia etiam excuset à pœna ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41214

tata (quia directè est voluntaria & procedens ex magna voluntatis propensione ad malum, saltem tunc, quando expressè intenditur, & opposita cognitio respuitur, quatenus quis sine ullo conscientie remorsu liberè peccet) non censetur minui, sed potius augere voluntarium & peccatum; cum adeo censeatur adhærere peccato, ut etiam horreat scientiam avocantem à peccato: quales fuere impij illi apud *Job. c. 21. recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.*

CONFIDENTIA LII.

An ignorantia etiam excuset à pœna?

74 **R**ESOLUTIO I. *Ignorantia invincibilis Juris* statuentis pœnam; & *facti*, sicut ab omni culpa, ita etiam ab omni pœna excusat. Ita omnes.

Ratio est; quia nim: pœna decernitur ob culpam: ergo cessante culpa tanquàm causa, cessare etiam debet pœna tanquàm effectus. E. g. Percussisti clericum invincibiliter ignorans, eam percussionem esse ab Ecclesia prohibitam sub pœna Excommunicationis: aut nesciens, vel non advertens illum esse clericum, non incurris pœnam Excommunicationis &c. Imò etiam ignorantia vincibilis, dummodò non sit crassa vel supina, excusat à pœna à legibus decreta; ut si in exemplo alato suspicans fortè esse Clericum, & absque sufficienti inquisitione credas non esse, & percutias, non incurris censuram: quia ignorantia quæcunque non crassa censetur levis; ideoque sicut culpæ gravitatem minuit, & venialem reddit, ita æquum

Pars II.

G

est,

est, ut & pœnam minuat, vel etiam tollat, si pœna est latæ sententiæ. Si verò pœna est sententiæ ferendæ à Judice, is aut veniam delicti dare, aut aliam mitiorem arbitrariam imponere debet.

RESOLUTIO II. Ignorantia Juris vel facti (lata, crassa, vel supina) sicut non excusat à mortali peccato, ita neque à pœna per legem decreta, etiamsi gravis illa sit. *Com. DD. ex c. de confit. in 6.* Excipe, nisi pœna decreta sit cum hujusmodi formulis: *qui scienter, temerariè, ausu temerario contra fecerit, vel contra facere ausus fuerit, vel præsumpserit &c.* Tunc enim etiam ignorantia crassa vel lata (at non affectata) excusabit. *Ut cum com. docet Sanch. l. 9. de Matrim. Disp. 32 a. n. 39.* Hujus exemplum habetur in *Jur. 1. c. 1. de eo, qui cognovit.* Si quis cum filiastra sua (filia uxoris) scienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere, nec filiam unquam poterit habere uxorem. Ex quo colligit *Sanch. cit. n. 47.* etiam ignorantiam facti crassam excusare ab incurrenda pœna privationis juris petendi debitum eum, qui consanguineam uxoris suæ cognovisset. Ad didi per parenthesis (at non affectata) quia hæc scientiæ æquipollet, adeoque nullam peccantibus excusationem adfert.

CONFIDENTIA LIII.

An sciens legem, & ignorans pœnam annexam, reus utriusque prævaricando efficiatur?

75. Sensus quæstionis est, an, qui scit v. g. præceptum ecclesiasticum, de annua commu-